



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

2. De alio remedio recuperandæ possessionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

2. *Cui & adversus quem competat.*

3. *In quo differat ab interdictione retinenda possessionis.*

TAmetsi in præcedentem Titulum incurrant ferè omnia, quæ in Pandectis & Cod. de variis interdictionum generibus & eorum usu proponuntur: Tamen ei rectè subicitur specialiter hic Tit. De Restitutione spoliatorum, seu de interdictione recuperandæ possessionis, tamquam qui specialem requirat tractatum, eò quod plurima ab aliis diversa contineat, & ex atrocitate facinoris descendat, l. 1. §. hoc interdictionum D. De vi & vi armata. Unde in Institutionibus & Cod. vocatur Interdictum unde vi, à primis edicti verbis, unde tu illum vi dejecisti: In Pandectis verò inscribitur Tit. De vi & vi armata, veluti à causa efficiente: Quia non nisi ei competat, qui vel vi simpliciter, vel vi armata dejectus est de possessione* 1. rerum scilicet immobilium, ut fundi, vel ædium Subaudiendum verò est, vel quasi possessione, quia jura incorporalia, veluti servitutes, redditus, beneficia, pensiones, jurisdictiones & similia, rebus immobilibus comparantur; & tamen non propriè possidentur, sed quasi possideantur, & idèd, si quis vi prohibeatur uti servitute aut jurisdictione sua, dabitur ei hoc interdictum. Unde vi, c. Olim inter 17. a. V. fanis 19. h. t. & similiter si beneficio suo Ecclesiastico vi privetur, cap. 2. 5. 7. h. t. Baldus Conf. 42. 5. vol. 3.

2. Dixi rerum immobilium. I. Prætor an §. & generaliter §. illud D. de vi & vi armata: quia etiam res mobilis erepta est, non competit ali-quod interdictum possessorium recuperandæ possessionis, sed actio vi bonorum raptorum, vel fructi, vel ad exhibendum, d. l. 1. §. illud. Quamvis, si res ejusmodi fuerit in fundo vel ædibus, unde quis dejectus est, atque ita eam amiserit, etiam ejus nomine, saltem accessorie, licet non principaliter hoc interdictum competat: d. l. 1. in prime. §. illud 6. versic. pland. l. Si quando 9. C. Unde vi, Alex. in l. vindicatio 56. De rei vindicatis.

3. Datur autem hoc interdictum ei, qui vi dejectus est, sive fuerit dominus rei, sive non; veluti si sit usufructuarius, l. 3. §. fin. D. De vi & vi armata: Modò tamen rem verè possederit, cum fuit dejectus, d. l. 1. §. interdictum autem hoc

23. c. Consultationibus 10. sup. De officio delegati, sive naturaliter sive civiliter, d. l. 1. §. dejectus 9. sive justè sive injustè possideret. Item hæredi ac cæteris ejus successoribus competit, d. l. 1. §. hoc interdictionum 44. non quidem adversus quemlibet possessorem aut tertium aliquem qui non spoliaverit, & eandem rem possidere cõpetit, l. Cum à te 7. D. d. tit. sed adversus eum, qui perse vel per alium dejecit, vel dejici mandavit (modò factum fuerit subsecutum, quia, ut dixi, ex facti atrocitate descendit) vel etiam dejectionem ratam habuit, d. l. 1. §. dejectus 12. juncto sed etsi 14. aut accedere prohibuit.

4. Differt verò hoc interdictum ab interdictione retinendæ possessionis, quod detur dejecto per vim adversus dejectorem, licet dejectus vitiosè vi vel clam vel precario, ab ipsomet dejectore, adversario suo, possederit, l. sed etsi vi 14. d. eod. Adque in odium ejus, qui postèrius vi dejecit: Et proinde non habet hic locum regala juris, quod rei sint favorabiliores, quàm actores, quodque in pari causa potior sit conditio possidentis. Hoc tamen limitandum est, nisi vi dejectus incontinenti dejectorem iterum dejectiat, c. Olim causam 12. b. t. quia vim vi repellere licet, modò non fiat ex intervallo, hoc est modo fiat, priusquam ad alios actus extraneos progressum sit, etiam si aliquid temporis intercesserit.

§. II.

De alio remedio recuperandæ possessionis,

1. Interdictum unde vi adversus quem competat
2. Remedium ex c. sæpè i. s. h. t. competit adversus quemlibet possessorem.
3. Modò sciens possideat injustè.
4. Licet scientia superveniat demùm acceptà ve.

Quia per interdictum unde vi, de quo jam dictum, non satis consulitur spoliatis, ex quo illud datur dumtaxat adversus eum, qui perse vel per alium dejecit, vel dejici mandavit, vel dejectionem ratam habuit, aut accedere prohibuit, non autem adversus alium, ne quidem hæredem aut successorem universalem (nisi quod in hos, quatenus ad eos pervenit, competit actio in factum, d. l. 1. §. ult. Abbas & DD. plenè in cap. Quia col. 5. de judicio) nec in singularem

larem successorem, Maranta 4. p. *Distinct.* 7. *nu.* 26. ne quidem quatenus ad eum pervenit, sive iusto titulo & bona fide, sive absque titulo & mala fide possideat rem, cujus possessione dejectus est; & durum admodum esset, adversus huiusmodi possessorem non competere nisi rei vindicationem, ad quam instituendam actori incumbit probare dominium, quod sæpè probatum est difficile. Deo Innoc. *in c. Sapè contingit*, 18. *h. r.* introduxit aliud remedium recuperandæ possessionis, simile interdicto. Unde vi: Quo actor agere potest ad recuperandam possessionem, adversus quemlibet possessorem, spoliationis conscius, sive is rem immediatè a spoliatore acceperit, sive mediatè, etiam à possessore bonæ fidei intermedio; ea ratione, quod non multum interfit quoad periculum animæ, an quis iustè invasit alienum, an sciens iniustè possideat: Quandoquidem vitium dejectionis seu spoliationis non purgetur, nisi res reversa sit in potestatem possessoris, qui dejectus est, vel domini, si is dominus sit: Adeo ut si verus dominus possessorem deiciat, non purget hoc vitium, imò interdicto *unde vi* directo teneatur, *l. Sequitur* 4. *§ si tu me vi cum § seq. D. De usucapionibus.*

3. dixi non interesse multum, an sciens iniustè possideat; quia hoc remedium non competit adversus eum, qui rem possidet, ignorans eam vi invasam; hoc enim casu cessat periculum animæ seu peccati, quod sine scientia non committitur. Et ideo actori incumbit probatio clara & specifica scientia huiusmodi; nam aliàs generaliter ignorantia præsumitur, & objecta scientia probari debet, *l. Verius D. De probat.* Quamquam stante ignorantia spoliationis huic remedio possessio locus esse possit, eo casu, quo quis vacuum seu vacantem possessionem ingreditur, maxime ex qua alius dejectus est: Nam uti ad eum casum Justinianus, *in l. b. ult. Cod. Unde vi* ex: endit usum interdicti *Unde vi*, etiam si illi verba edicti non quadrent; ita verius est & hunc casum hoc remedio, quod ad exemplum interdicti *Unde vi* introductum est, comprehendi.

4. Cæterum à plerisque dubitatur, an hoc remedium competat adversus eum, qui bona fide rem à spoliatore accepit, & demum, eam acceptam, vitio violentiæ laborare cognoscit? Et communius obtinuit, supervenientem scientiam

perinde atque eam, quæ ab initio fuit, singulam successori nocere, cum verum sit, eam rem tenenter detineri iniustè, & iniustam detentionem invasioni æquiparet Pontifex: Nec minus subsit hic periculum animæ; quam cum ab initio novit vi ablatam. Idque obtinet, sive titulo lucrativo sive oneroso successerit; sive solvendo sit, sive non primus spoliator: Quia hic Pontifex non tam spectat causam acquisitionis; quam modum, hoc est scientiam acquirentis & recipientis ac detinentis iniustè, seu periculum animæ.

§ III.

De tertio remedio recuperandæ possessionis.

1. *Remedium redintegranda possessionis cui detur & adversus quem.*
2. *Simile actioni quod metus causâ.*

Est & tertium remedium recuperandæ possessionis, quod à Pragmaticis appellatur remedium redintegranda ex *can. Redintegranda* 111. *g. 1.* quod quia latissimè patet & plentissimum est atque utilius inter omnia possessionis remedia, & cum omnibus aliis remediis concurrens, Maranta 4. p. *Distinct.* 7. *n. 58.* hodie in frequentissimo est usu.

1. Datur enim ei sive is Clericus fuerit sive Ecclesia, sive laicus, qui de re aliqua, etiam mobili, vi deiectus est, vel cui aliàs quovis modo sine iusta causa ablata res est, Maranta *d. num. 58.* absque ulla temporis præfinitione, adversus quemlibet possessorem, quamvis ipse non spoliaverit, nec etiam spoliationis sit conscius, sed bonæ fidei possessor, *d. can. Redintegranda, & ubi Glossa*; & sive cum vitio seu absque vitio, sive cum titulo seu absque titulo ad eum res pervenerit, Maranta *d. loco*: 2. Quia hoc remedium est in rem scriptum, sicut & actio quod metus causâ, quæ coercet non tantum personam vim facientis, sed datur etiam adversus omnes eos, ad quos res pervenit, *l. Metus §. ult. D. De eo quod metus causâ.* Eoque uti potest etiam colonus & inquilinus, si de detentione sua fuerit per vim deiectus, etiam adversus quemlibet possessorem.